Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. LXXI. ANNI 1676. 4. SEPTEMBRIS.

1676

Visual Library

PUBLIC RECORD OFFICE

Num. LXXI.

EXTRAORDINARIÆ RELATIONES ANNI 1676. 4. SEPTEMBRIS.

Viennâ, 23. Auguſti.

AVguſtus Cæſar ad conſcribendas novem cùm pe-
deſtres tum equeſtres legiones proximè neceſſa-
riũ&æs diplomata tradet iis, quos ex diverſis ſollici-
tantibus Officialibus ſeliget. Baro de Lantzenberg
inferioris Auſtriæ Conſiliarius ad Principem Moſco-
viæ legatur laboraturus in graviſſimis negotiis, ma-
ximè in ſtabiliendo fœdere quod recenter concluſum.
E *Czackatburn* ſolo Croatico reſcijmus, Gubernato-
rem ibidem Baronem de Berg maturè exploraſſe,
Turcas è *Caniſcha* numeroſis turmis, vindicaturos
clades ſibi nuper illatas, Turnitium quidẽ cogitaſſe,
ut ejuſdem mœnia pro virili tranſcenderent; in fu-
gã tamen compulſos à vigilantiſſimis Huſſaris hæc à
dicto Gubernatore molimina Turcica monitis, greſ-
ſuſque maturaſſe Lendovam urbeculam Comitis
Eſterhaſii & Sigetum uſque, interſicis pagis & agris
multo exſpoliatis pecore, Caniſcham deducto: hac re-
pulsâ Turcæ exacerbati die alterâ ſub ipſam meri-
diem numero nongenti, ſeptem ſuperbi labaris, propè
Turnitiſiũ conſpiciebantur majores pro virili clades
invecturi, ſed & hic in aere piſcabantur; actutùm e-
nim omnes ejus Inſulæ Nobiles & Huſſari ad man-
datum Præfecti ſui ſub auſpiciis celeberrimi Excur-
ſoris Centurionis Ballo Caſpar collecti, dictis Turcis
anteverterunt eâ celeritate obvii, ut metu ferenda-
rum cladium Turcæ ad ſuos quam citiſſimis paſſibus
ſeſe receperint. Cardinalis Haſſiæ Imperatori vale-
dixit, profecturus ad delatam ſibi Sileſiæ Præfectu-
ram, contrà Cardinalis Badenſis Romam migrabit
ad electionem Neo-Pontificis, unà cum Cardinale
Pio quà Protectore Germaniæ tractaturus ſedulò ne-
gotia Cæſaris: audimus Româ, labentis ſecundâ ſub
invocatione Spiritus S. Purpuratos Patres conclave
pontificium ingreſſos & jam tum, abeunte veredario,
dies decem congregatos inter conſvetas ſollemnita-
tes: Orator Gallicanus rogârat Cardinalium Colle-
gium, dignaretur creationem Pontificis protrahere
in adventum Cardinalium Gallicorum viæ citiſſimæ
accinctorum; reſponſum verò, minimè opus eos pe-
gaſeis approximare curſibus: dum plebs Romana fa-
cultatem haberet nominandi Papam, jam tum ſe-
cundâ currentis nuncupaſſet Cardinalẽ Roſpiglioſiũ,
cui acclamavit, *Viva Caſa Roſpiglioſi, Viva Clemente
nono*: unanimiter Cardinales elegerunt Confeſſorem
dictæ ſuæ congregationis durante conclavi R. P. Bo-
naventuram à Recanato Procuratorem Curiæ Ord.
[illegible]ucinorum jam pridem Co[illegible] Pa-
latii.

Pariſiis, 25. Auguſti.

QVi huc venerat rationem muneris ſui poſiturus,
D. Iacquier. Rex actutùm ablegavit ad Princi-
pem de Luxemburgh cum mandato de urbe aliqua
Friburgenſi aut Spirenſi obſidenda, ad trahendos à
Philippopoli Cæſareos; ejus ſiquidem futura debella-
tio Regem pungeret graviſſimè, cum Principi Lo-
tharingico pateſaceret aditum in Lotharingiam:
porrò quot horis præſtolamur Curſorem à Mareſcal-
lis de Schombergh & Humieres, qui referat, quem e-
pilogum ſortita, quam ſuſceperunt in liberationẽ
Trajectenſem, expeditio: quot carere poſſunt præſi-
diariis Vrbes Gallo-Belgicæ, deſtinantur ad memo-
ratos Mareſcallos, ut commiſſam ſibi expeditionem
eò exequantur victorioſiùs. Civium principes & cu-
rioſiores excurrunt Verſalleſiũ, viſum ſolemnitates,
[illegible] Aula parentat S. Ludovico.

Haſniâ, 25. Auguſti.

EXpugnato *Landscron*, Rex noſter cum Exercitu
ingreſſus eſt ſecretiora viſcera Inſulæ *Schonen*;
de expeditionibus Veredarii nuntia variant, primus
Carolopolim, 2dus Helmſtadium obſideri, 3tius de-
nique gratiora prioribus refert, dimicaſſe cum bis
mille Svecis victorioſè turmam Danicam, multiſque
trucidatis, centenos aliquot in captivitatem abſtra-
xiſſe: ad ultimi confirmationem anhelamus, priora
certa ſunt, diviſus enim Exercitus utramque Civita-
tem unà obſidebit. Anklamenſes vix poterunt conti-
nuare generoſitatem hucuſque proditam in ſuorum
mœnium propugnatione; non enim diu indefeſſus
ſtabit Hercules contrà duos: in *Landscron* inter cen-
tum & quadraginta tormenta, curioſior ſpectator
duo reperit, bis inſcripta, 1. *Sigiſmundus Auguſtus
Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, An.* 1559. 2dum,
Sigiſmundus materiam formavi omine fauſto, *Rex
Vladiſlaus Regno cunto dedit, An.* 1637. aliqua Hi-
ſpanis, alia aliis inſignis decora. Archi-Thalaſſus
Tromp hærens cum claſſe ad Inſulam *Ruyen* præſto-
latur Brandenburgicos, ad quorum acceſſionem in
eandem irruet, aggreſſurus Svecos, quorum ibi latet
pars potiſſima.

Hamburgo, 29. Auguſti.

EX Diœceſi Bremenſi percepimus, tres Lunæbur-
gicas legiones movere, duas Philippopolim, ter-
tiam Trajectum verſus: Epiſcopum Monaſterienſem
moderaturum caſtra viginti quatuor virorum mil-
lium à diverſis Confœderatis turmatim miniſtrando-
rum, illaque ad Tractum Moſellæ quà Polemarchum
ducturum: D. Amerongen Orator Hollandicus vehe-
mentiſſimè urget Statæ, Lunæburgicum & Mona-
ſterienſem militem ad dictum Moſellam deſtinari,
quod fiet: Pomerania non credit, Anklamenſes guſta-
turos fel ſuſcipiendi jam jam univerſalis impetûs;
Stadenſis Magiſtratus ſingula parat ornatiſſimè ad
præſtandum præſenti Principi ſuo Cellenſi homa-
gium. Labentis decimâ octavâ, convenienter nun-
tiis Viſmarienſibus, Straleſundani Deputatum cum
Tubicine legârunt ad Archi-Thalaſſum Tromp, no-
mine Magiſtratûs intimatum, ſeſe paratiſſimum eſſe,
qui admittat præſidium Danicum, dum Rex antiquiſ-
ſima ſuæ Civitatis privilegia nec mutilare nec nume-
roſius ſexcentis viris præſidium immittere dignatus
fuerit, ita ut [illegible] admittat, à Conſulibus militi proponi
quot diebus ſelleras, eoſdem cuſtodire claves, & cete-
ra, quibus hucuſque urbs gavîſa: oblatis hiſce annuit
Archi-Thalaſſus ille, ideoque dimiſſum illinc præſi-
dium Svecicum.

Ex Tractu Albis 29. Auguſti.

COgnovimus Holmiâ, vallium vulgò ruſticos eò
gravitatis [illegible] cauſam Comitis Magni de la
Garde, ut condemnatus ad trecentorum millium
Imperialium mulctam Aulæ pendendam & foras juſ-
ſus cedere; cujus certitudo aliàs. Monaſterienſes &
Præfectura Ritzbutelenſi exigunt ſexies mille&quin-
gentos Imperiales, cui exactioni cum adverſentur In-
digenæ, in ejuſdem pagis legio Chiliarchæ VVedela
ad ſolutionem uſque juſſa manere. Generalis Major
Sandtberg in *Schonen* intercepit viduæ Svecorum
Reginæ litteras ad Filium deſtinatas, quibus petiiſ-
ſet, dignaretur Rex quam celerrimè redire Holmiam
cùm motuum domeſticorum ergò tum ob factam in
Ingermanlandiam irruptionem Moſcorum. Exer-
citus Confœderatus è Diœceſi Bremenſi in præfixam
metam cogitans, partim vias Coloniam Agrippinam

COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG

verſùs partim alias ingreditur, ne unum plus ceteris territoriis videatur gravare. Eveſtigiò allabitur, Regem Daniæ, cum Svecicus ſeptem millium Exercitus præliari abhorreret fugiendo, obſidere Chriſtianopolim debellandā ob exſiccata ſole ardentiore valla.

Argentorato, 29 Auguſti.

GAlli è diſtrictu Colmarienſi, quòtquot habet, currus, colligunt, Hagenoam nedùm annonam ſed etiam neceſſariam noſocomio ſupellectilem Seleſtadio illuc transportaturos: ipſi inquiunt, ex mandato regio Exercitum ſuum propè Hagenoam manſurum omneſque aditus *Keſtenholtz*, *Marienkirch*, *St Arrieniſthal*, &c. præſidio tam diu muniendos: uſquedum, deficientibus frondibus, cogat fames abire: Benfeldiæ parantur hoſpitia mille & quingentis equitibus: præſidiarii; Briſaco & Seleſtadiò nuper deſcendentibus caſtris accerſiti, ad ſuos redeunt: Princeps de Luxemburgh iteratò Regem edocuit, ſe (poſtquam vi mandati regii ſuccursū in Philippopolim immittere conatus fruſtrà, eo quod Colbertius Montleurier in combinatione molis ligneæ ratiumque incendiariarum tantas traxiſſet moras, ut nedùm Cæſareis oblata occaſio quibuslibet ſuis ſuorumque machinationibus antevertendi, caſtraque circumquaque municiſſimè circumvallandi, ſed etiam Gallicus Exercitus ob maximam pabuli annonæque penuriam in extremas fataleſque quaſi præcipitatus anguſtias, ita ut diutiùs miles ruri ſtare nequeat) coactum, ad refocillandas vires exhauſtas, indulgere quieti militis quinque aut ſex hebdomadas, nullis obnoxias expeditionibus, ſimul & unicè petere, dignaretur ſine mora phalangem exercitatiorem ſubminiſtrare, quā jacentes plurimùm vires ruinamque totius Exercitûs minantes erigantur & roborentur: noſtri intereà pagi Gallorum violentiā expilantur, vineæ continuis rapacis ſtomachi pervagationibus exhauriuntur: dyſenteria crudeliſſimè in Gallos & ruricolas, quorum pagos pervolant, bacchatur: Tabernis quotidiè ſolorum Gallorum triginta penè tumulantur, reliquiæ denique, ut multi aſſerunt, in Gallias revertent, ut primùm deditionem Philippopolenſium inaudierint: Cæſarei Generales Caprara & Schultz morantur intereà cum equitatu ſuo Biſchoffsheimii, pluribùs augendi legionibus equitum hodiè propè Philippopolim Rhenum trajecturis? de obſidione quid referam? In priore verſatur cardine: dudùm immani ſpe devorata ejus debellatio.

Ex Caſtris Philippopolim obſidentibus, 29. Auguſti.

APpulerunt Moguntini & Francofurtenſes armigeri, numero octingenti: debellato nuper multi ſanguinis profuſione propugnaculo dicto *Contraſcarpe*, continua tormentorum bellicorum fulmina mox diſſecabant quidem mœnia, ita ut videretur die altero patere ingreſſus; aſt, cum jam jam tentandus inſultus, videbamus rupturam illam duplicatis obturatam firmiſſimè vacerris: agimus cuniculos multis munitionibus fatales, quorum aliqui, actis contrà per obſeſſos, ad nocendum fiunt inhabiles: dum Gubernator obſidionis extrema, de quo dubitamus plurimùm, præſtolabitur, maximè dum transfugæ unanimiter Officiales onerare ciſia comburendis impedimentis, agere militem obſeſſum cuniculos, qui noſtris illudant, circumquaque ſecundùm mœnia duplicatas extrui foveas: ſanè magno labore, multo tempore, frequentandis inſultibus, copioſoque cruore ſtabit expugnatio: transfugarum aliqui contrarium affirmant, vix præſidiariorum mille ſupereſſe, Vice-Præfectum cum omnibus Vicariis è vivorum numero ſublatum, ceteros Officiales non eā, quā hucuſque ſoliti, frequentiā & generoſitate corpora & membra ſua oblaturos lanienæ, ſperandam denique octidui ſpatio debellationem: Maximilianus Comes de Furſtenberg, evibratis in Gallos ultrà centum propriā manu fulminibus, adversā fronte ſub naſo transfoſſus occubuit: ingenioſorum rerum bellicarum machinatorum quindecim ab obſidionis tempore ſunt letho immerſi, quos inter de nece D. Knorr & D. Taddæi maximè dolemus.

Fridericopoli, 29. Auguſti

COmes Ludovicus Guſtavus de Hohenloe nudius tertiùs ſub veſperam huc venit, habitoque eā veſperā & heſterno mane alloquio Principis Electoris noſtri, quocum paucis ſuper maximi ponderis rebus egit; profectus eſt Moguntiam, de eadem re cum Electore illo conſultaturus: Elector noſter duas Cataphractorum & quatuor deſultoriorum centurias non ita pridem, Gallis ad caſtra Cæſarea deſcendentibus, Philippopolim miſſas à Principe Lotharingico, per ditiones fineſque ſuos ad coercendam pabulabundorum inſolentiam diſpergendas repetiit, repetitas recepit. Landgravius Erneſtus Haſſiæ Reinfeldenſis curioſitate impulſus, ſe tenet in caſtris obſidionis Philippopolenſis, propriiſque ſumtibus centuriam centum exercitatorum virorum cæruleis indutorum tunicis è ſuo licet tenui præſidio accerſiit, uniendam copiis Haſſo-Caſſelenſibus.

Hagā Comitis, 1. Septembris.

PAnormo de claſſe noſtra reſcivimus nuntia quibus vix triſtiora, quod adeò vehementer illam depopulata dyſenteria, ut, præter nuper memoratos, duo Centuriones D. Andringa & VVilmerdunck eādem interemti, immò Epibatarum & militum numerus ultrà medietatem defecerit: quam ob rem maximis hic torquemur anguſtiis, metuentes, ne, niſi maturentur ſuppetiæ quā celerrimæ, Claſſis noſtra periclitetur exitio. Ducta huc eſt Noviomago mulier captiva, quæ non rarò litteras à Mareſcallo de Eſtrades ad Trajectenſium Gubernatorem D. Calvo tranſtuliſſe deprehenſa. Degentes Noviomagi Plenipotentiarii Gallici magis præſentiā quam abſentes abſentiā Tractatus pacis protrahunt, non enim juſti pacem ventilare & concludere priùs, niſi Regi ſuo Regnum Siciliæ & Comitatus liber *FrancheComte* à Confœderatis tranſcribantur nunquam repetendi: hoc ſi fiat, Regem Galliæ paratiſſimum eſſe, qui Germaniæ & Belgii votis plus dicto reſpondeat, & nullatenus prioribus ſeſe abdicaturum, quamvis ſemper pax exularet.

Hagā Comitis, 1 Septembris.

ORatores Gallicani degentes Noviomagi novas & inopinas exordio Tractatuum obtrudunt difficultates de neutralitate dictæ urbis, inquientes duorum milliariorum ſpatium circum Civitatem nimium eſſe ſed ſufficere quadrantis, quibus inſolitis honeſtæ neutralitatis coarctationibus ex tempore reſponſum, ſi quod illis ipſis malum obtingeret in illa vincta quaſi neutralitate, ne id Hollandis ſed ſibi imputent: Principis Sabaudiorum Orator Chriſtianiſſimo Regi de ſubjugatione Arlenii nuper congratulans, id à Rege audiebat reſponſi, *Mallemus, Nobis de redemtione Philippopolenſi gratulari, utpote maioris momenti:* in multorum manibus verſantur litteræ de Exercitu noſtro ad Moſam in ipſis caſtris exaratæ, ſed eorum tenor celatur, dicunt aliqui, quaſi Gallicanus Exercitus Tongris viciniſſimus, Trajectum cogitaret, Mareſcallus de Crequy latus VVikenſe obſervaret, Hiſpanus & Hollandicus Exercitûs uniti anhelarent ad certamen cum Gallis &c. de quibus aliàs: ante triduum ſeduló de graviſſimis hic conſultabatur Confœderatorum Oratores inter & Procerum Unitorum Deputatos: appulit huc Plenipotentiarius Hiſpanus D. Petrus Ronquillo, iturus Noviomagum, quo tandem venit antepenultimā præteriti Svecicus D. Olivenkrantz. Federati Proceres Cellenſibus edocti litteris, copias Principum Brunſvicenſis & Luneburgici movere, ut ſeſe, quo celeriùs eò gratiùs uniant Exercitui Auriaco. Thalaſſius VVilhelmus Baſtians vagans in Oceano non procul à litore noſtro, cepit navem Dunkerkenſem & alteram Britannicam è faucibus Gallicis, in quibus gemebat vincta, revulſit.

Imprimebat PETRUS HILDEN S. C. M. P. R.